ACIA
CORNELII CELSI
PROPRIÆ SIGNIFICATIONI
RESTITVTA:
ALPHONSVS NVÑEZ
REGIVS ARCHIATER
DEFENSVS:

A IOANNE IACOBO CHIFFLETIO, Equite, PHILIPPO IV. Regi Catholico, & Sereniſſimæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Hiſpaniarum Infanti à Cubiculis Medico.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIII.

ELOGIVM CORNELII CELSI,

ex Roberto Conſtantino.

Cornelius Celſus, in primis bonus auctor, (ideoque ab aliis primæ notæ Scriptoribus laudatur, multumque approbatur, vt à Columellâ, verbi causâ, Plinio, & Quintiliano licet communis artis æmulo) qui & Hippocratis fidelis interpres Latinus dici meruit; qui Medicinam in compendium contulit; qui ita caſtigatè, propriè & eleganter loquitur (terſum enim dicendi genus & aſtrictum ſecutus eſt, in quo rerum ſententioſa grauitas, verborumque apta & numeroſa & quaſi rotunda conſtructio) vt non modò à Medicis, propter artis ſcientiam; verùm etiam ab omnibus eloquentiæ candidatis, propter ſcribendi venuſtatem, lectitari mereatur. Nullus enim auctor eſt, ſi Ciceronem & Plinium excipias, id eſt, duo Linguæ Romanæ columina, cui plus ipſa Latina Lingua debeat.

ILLMO EXCELLMOQVE
DOMINO,
D.GASPARI DE GVZMAN,
COMITI DE OLIVARES,
DVCI DE SANLVCAR MAIORI,
BONARVM ARTIVM ET LITTERATORVM SVMMO MÆCENATI,

Io. Iac. Chiffletius ΤΟ ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.

AB Iberico veſtro cælo ad Belgicas oras peruenit rumor quæſtionis in palæſtrâ tuâ litterariâ agitatæ, circa vnicum Cornelij Celſi vocabulum, ACIA; quod certè acri dignum examine, vtpote antiquatum, acutiſſimas ingeniorum acies videtur retudiſſe. Subijt animum, obtuſæ mentis meæ cuſpidem & calamum ſimul acuere, ne de difficultate coram te motâ monitus, viderer vel languere, vel muneri meo (quod tibi debeo) nimis deeſſe. Accinxi me ergo confeſtim examini, &

qualecumque hoc ſcriptum, ſub E. T. felicibus auſpiciis, mihi excidere ſiui.

Textus Cornelij Celſi, de glutinatione vulnerum, ex archetypis editis,& manuſcriptis bonâ fide recognitus, ſic habet: *In his verò quæ glutinantur, duplex curatio eſt. Nam ſi plaga in molli parte eſt,* SVI *debet; maximeq́; ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter. Si verò in carne vulnus eſt, hiatq́;, neque in vnum oræ facilè attrahuntur,* SVTVRA *quidem aliena eſt; imponendæ verò* FIBVLÆ *ſunt (ἀγκτῆρας Græci nominant) quæ oras (paulùm tamen) contrahunt, quò minùs lata poſteà cicatrix ſit. Ex his autem colligi poteſt, vtrùm id quoque quod aliâ parte dependens, aliâ inhæret (ſi* ALIENATVM *adhuc non eſt)* SVTVRAM *an* FIBVLAM *poſtulet. Ex quibus* NEVTRA *antè debet imponi, quàm antè vulnus purgatum eſt, ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur: id enim & in pus vertitur, & inflammationem mouet, & glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis causâ inditum eſt, inibi relinquendum eſt; nam id quoque inflammat. Comprehendi verò* SVTVRA *vel* FIBVLA *non cutem tantùm, ſed aliquid etiam ex carne, cùm ſuberit hæc, oportebit, quò valentiùs hæreat,*

Lib. 5. cap. 26.

reat, neque cutem abrumpat. VTRAQVE OPTIMA EST EX ACIA MOLLI, NON NIMIS TORTA, *quò mitiùs corpori inſîdat.* VTRAQVE *neque nimis rara, neque nimis crebra inijcienda eſt: ſi nimis rara eſt, non continet: ſi nimis crebra eſt, vehementer afficit; quia quò ſæpiùs* ACVS *corpus* TRANSSVIT, *quóque plura loca* INIECTVM VINCVLVM MORDET, *eò maiores inflammationes oriuntur, magisq́; æſtate.* NEVTRA *verò vim vllam deſiderat, ſed eatenus vtilis eſt, quà cutis ducentem quaſi ſuâ ſponte ſubſequitur. Ferè tamen* FIBVLÆ *latius vulnus eſſe patiuntur.* SVTVRA *oras iungit, quæ ne ipſæ quidem inter ſe contingere ex toto debent, vt ſi quid humoris intus concreuerit, ſit quà emânet.*

Primò colligendum ſeu iudicandum monet Celſus, an ſuturam, an fibulam poſtulet, id quod alienatum adhuc non eſt. ALIENATVM explico, vel ita diductum, vt ampliùs ſuturæ aut fibulæ locus non ſit; vel certè corruptum & ſideratum; cùm alibi dixerit, *quod alienatur* (Hippocrati ἀλλοιοῦται καὶ σφακελίζεται) *cancro opportunum eſſe.* Lib. 8. cap. 10

Docet deinde Celſus modum adhibendæ ſuturæ vel fibulæ, (quam duplicem curationem initio propoſuit) vt non cutem tantùm, ſed ali-

quid etiam ex carne comprehendat, quò valentiùs hæreat, neque cutem abrumpat.

Subiicit poſteà: VTRAQVE (ſutura ſcilicet & fibula) OPTIMA EST EX ACIA MOLLI, NON NIMIS TORTA. Quæſtio inter viros doctos fuit, quid eſſet ACIA, è quâ tam ſutura quàm fibula optima erat. Alphonſus Nuñez Archiater peritiſſimus, & munere quo apud Regem Maximum fungitur digniſſimus, affirmauit, per *aciam* intelligi debere vel acum, vel ſimile quidpiam metallicum. Contrà Franciſcus de Rioja, vir inter eruditos ingenioſiſſimus, *aciam* nihil aliud ſignificare aſſerüit, quàm filum lineum vel ſericum. Certatum hinc inde variis telis, libri exhibiti, rationes prolatæ, praxis in arenam producta. Poſtmodum Rioja cauſæ ſuæ patronum nactus eſt Franciſcum de Figueroa Medicum Hiſpalenſem, ſolertis ingenij virum, qui ſenſum eius tutari conatus eſt, ſcripto linguâ Hiſpanicâ edito, die adſcriptâ Auguſti trigeſimâ anni vertentis, quod hoc menſe Octobri nobis hemerodromus attulit. Ego verò à Nuñezij (amici & collegæ mei, cui me multis nominibus obſtrictum profiteor) partibus, hoc breui & extemporaneo ſyntagmate ſtare decreui, & ſymbolam meam in illum conferre; vt inſtructâ tandem lite,

lite, & ad Iudices relatâ, dica illa dirimi poſſit. Quia verò ad ACIÆ, vocis obſcuriſſimæ lucem, plurimum facit FIBVLÆ explicatio, ab eâ diſputationis meæ initium faciam.

FIBVLA priſcis vinculum erat metallicum, quo res aliquæ ſeiunctæ nectebantur & ſtringebantur: eaque multiplicis formæ fuit. Vſu magis ſolemnis conſtabat ſemicirculo cum acu, ſiue ſtilo, cuius cuſpis in alteram partem excauatam reducta inſerebatur: hac togam ſubſtringebant & chlamydem, quò ad agendum promptiores eſſent. Virgilius:

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem. Æn. 4.

Ouidius:

Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem. 8. Met.

Mordebat ſcilicet per acum, quam expreſſit Trebellius Pollio: *Fibulas argenteas inauratas duas;* in Claud. *fibulam auream cum acu cupreâ vnam.*

Alterius formæ fibulâ baltheum ſeu militare cingulum connectebant. Virgilius:

—— *Lato quam circumplectitur auro* Æn. 5.
Baltheus, & tereti connectit fibula gemmâ.

Aurea fibula ſummæ nobilitatis inſigne olim fuit, & inter præmia militiæ donari ſolita. Gregarij argenteâ primùm vſi ſunt, quouſque Aurelianus Imperator auream ipſis conceſſit, au-

In Aurelio. ctore Vopiſco. Plebeiorum ærea fuit, aut ferrea.

Erat & alia fibulæ ſpecies, quâ Comœdis & Citharœdis extrema virilium pellis illigabatur, ad conſeruandam vocem, quæ Venere mutari atque corrumpi ſolet. Martialis:

Lib. 14. Ep. 215. *Dic mihi ſimpliciter, Comœdis & Citharœdis*
Fibula quid præſtat? ——

Hiſtriones autem illos infibulandi modum ſic *Lib. 7. cap. 25.* docet Celſus: *Cutis quæ ſuper glandem eſt extenditur, notaturq́ue vtrimq́ue à lateribus atramento, quà perforetur; deinde remittitur: ſi ſuper glandem notæ reuertuntur, nimis adprehenſum eſt, & vltrà notari debet: ſi glans ab ipſis libera eſt, is locus idoneus fibulæ eſt. Tum quà notæ ſunt, cutis acu filum ducente tranſſuitur, eiusq́ue fili capita inter ſe deligantur, quotidieq́ue id mouetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant* (hæc ad infibulationem eſt præparatio.) *Vbi hæ confirmatæ; exempto filo,* FIBVLA INDITVR (hæc infibulatio eſt) *quæ quò leuior, eò melior eſt.* Leuior profectò fibula illa eſſe debuit, ne metalli pondere grauando, diductis foraminibus cutem abrumperet, & caderet; vt in illo de quo Martialis:

Lib. 7. Ep. 81. *Menophyli penem tam* GRANDIS FIBVLA *veſtit,*
Vt ſit Comœdis omnibus vna ſatis.

Hunc

Hunc ego crediderim (nam ſæpè lauamur in vno)
Sollicitum voci parcere, Flacce, ſuæ.
Dum ludit mediâ populo ſpectante palæſtrâ,
Heu CECIDIT *miſero* FIBVLA, *verpus erat.*

Plinius ſuo tempore *pædagogia, ad tranſitum virilitatis, argento cuſtodita* ſcripſit: quod ſcienter interpretatur Dalechampius de fibulis argenteis, quibus adoleſcentum pudenda perſtringebant. Circularis erant figuræ, & æneam habuit in antiquâ ſupellectile Laurentius Pignorius, cuius figuram exhibuit libro de Seruis. Vetus Gloſſator illum Iuuenalis locum, *Lib. 33. cap. 12.* *Editionis Auguſt. pag. 82.*

— *nullius fibula durat,* *Sat. 6.*
Vocem vendentis prætoribus, —

exponit; *Fibulam dicit* CIRCELLOS (id eſt paruos circulos ſeu annulos) *quos Tragœdi ſiue Comœdi in pene habent.* Ætate iam prouectiores liberabant fibulâ, quod *refibulare* dicebatur. Martialis:

Jam pædagogo liberatus, & cuius *Lib. 9. Ep. 28.*
REFIBVLAVIT *turgidum* FABER *penem.*

Quorsùm adhibitus faber, niſi fibula metallica fuiſſet? Fibulæ variæ, de quibus antè, proſtant in antiquariorum abacis, aureæ, argenteæ, ferreæ, æneæ. Ad Cornelianam, de quâ quæſtio eſt, veniamus.

Fibula Celſi vulneraria, vinculum quoque metallicum fuit, vt vis verborum eius, quæ ad fibulam pertinent, clarè oſtendit; *quoq́; plura loca iniectum vinculum mordet*; quæ ſubiiciuntur illis, quæ ad ſuturam pertinent, *quò ſæpiùs acus corpus tranſijt*. Mordere autem (quod rei durioris eſt) proprium fibulæ fuiſſe, omnes Latini docent. Virgilius:

12. Æn. —— *teritur quà ſutulis auro*
Baltheus, & laterum iuncturas FIBVLA MORDET.

Claudianus:

2. in Entrop. *Uberibus propior* MORDEBAT FIBVLA *veſtes.*

Symmachus:

Lib. 1. *Eſt mihi caſtrenſem quòd* MORDET FIBVLA *veſtem.*

Lib. 1. de Pallio. Tertullianus, de Pallio Æſculapij: *In* FIBVLÆ MORSV *humeris acquieſcebat*. Hieronymus de muliere ſepties ictâ: FIBVLAM, *quæ chlamydis* MORDEBAT *oras, in humum excuſſit.*

Prætereà, ſuarum fibularum materiam ſimul & formam indicauit ipſe Celſus, cùm eas ἀγκτῆρας Græcis nominatas dixit. Ἀγκτὴρ enim, hamulus eſt metallicus: & ἀγκτῆρας vſurpauit 2. ad Glauc. Galenus ad eumdem quo Celſus noſter ſenſum & vſum: vnde ἀγκτηριασμὸς, *infibulatio*; ἀγκτηριάζειν, *infibulare*; & ἀγκτῆρας ἐπιθεῖναι, *fibulas*

ſiue

ſiue *hamulos ſuperponere*, apud eumdem.

Denique Celſus aliis locis, Latinè τὰς ἀγκτῆρας efferens, dixit *hamulum acutum, retuſos hamos*, & *hamulis apprehendi*: quæ loquendi formulæ, materiam τῶν ἀγκτήρων metallicam fuiſſe ſatis indigitant; vt clarè docet Guido, contrà quàm cenſuit Fallopius, Latinâ voce ACIA non intellectâ: nam fibulæ omnes, vt tradit Oribaſius, ex ære, ferro, vel auro fiebant. *Lib. 7. c. 7. & 20*

Hæc fuit igitur fibularum ſiue hamulorum impoſitio apud Celſum. Vbi in carne vulnus erat, hiabatque; neque in vnum oræ facilè attrahebantur, vnde ſutura aliena erat; fibulæ vulneri imponebantur hoc modo. Altero fibulæ vnco (geminis enim conſtabat, incuruo vno, recuruo altero, in formam litteræ S. productioris, & vtrimque aduncæ) labrum alterum vulneris cum carne & cute prehendebatur ab intus, à carne incipiendo. Reductâ deinde fibulâ, labrum oppoſitum altero vnco corripiebatur ab extra, cutem priùs quàm carnem mordendo: ſicque plagæ hiantis oræ, quæ propter diſtantiam conſui non poterant, reuocatæ continebantur. Ad eumdem ferè modum Guido: *Committuntur*, inquit, *inuicem vulneris labia cum hamis, qui eſſe debent parui pro ratione membri*; *ab vtrâque parte* *Lib. de Mach. cap. 4.*

curuati; & infigendo in vno labio, ducatur labium ad aliud labium, & in illo etiam figatur. Ille operandi modus nunc ferè deſijt, & à Felice Platero Medico Baſileenſi improbatur. *Fibulis*, inquit, *vel hamulis, labiis ambobus vulnerum affixis, illa coniuncta quoque aliquamdiu retineri poſſunt; ſed quia facilè labuntur, hæ, vbi morâ opus eſt donec vulnus glutinetur, non poſſunt ſufficere*. Verùm hîc non agimus de eo quod nunc fit, vel quod fieri debet, ſed de eo quod æuo Celſi factum eſt; & quod Lutetiæ, vbi ars chirurgica maximè floret, doctrinæ gratiâ, non vſus, aliàs demonſtrari vidimus; vbi fibulæ illæ antiquæ (*happes* ſuâ linguâ Galli vocant) è filo ferreo in extremitatibus adunco, à Magiſtris artis, publicè ſtudioſis exhiberi ſolent. quæ ſanè tam facilè, quàm Platerus dicit, labi & excidere poſſe non mihi videntur, ſi iuxta Celſi mentem à nobis explicatam admoueantur; & optimo adhuc vſui eſſent, niſi tormentum inducerent.

Tom. 2. cap. 17.

De ACIA maior eſt quàm de FIBVLA difficultas: ab hoc tamen labyrintho me expedio, & alio quàm Ariadnes filo. Dicit Celſus, *vtramque* (ſuturam & fibulam) *optimam eſſe ex aciâ:* conſtat ex prædictis, fibulæ omne genus metallicum fuiſſe: ergo & ſutura ex re aliquâ metallicâ

câ perfecta fuit; & ex conſequenti,acia quid metallicum erat.

Ferrum à ſcoriâ purgandi modum docet Ariſtoteles. *Purgatum accedit maximè ad argenti albedinem, vocatúrque chalybs & ςόμωμα Græcis, à Latinis autem* ACIES, inquit Andreas Cæſalpinus. Claudius Salmaſius, ſagax criticus, eiuſdem eſt ſententiæ, & ACIEM veteribus Latinis ςόμωμα ſeu *chalybem* interpretatur. Hiſpani vocant *azero*, Itali *aciaio* & *aciale*, Galli *acier*; vnde poſteriores Latini *aciarium*,quod Gloſſę ςόμωμα vertunt: vocabulis nempe omnibus à Latinâ & antiquâ voce ACIES detortis, quæ ferrum depuratum ſignificat. Plinius: *Ex omnibus autem generibus, palma Serico ferro eſt. Seres hoc cum veſtibus ſuis pellibusq; mittunt. Secunda Parthico. Neq; alia genera ferri ex* MERA ACIE *temperantur; ceteris enim admiſcetur*. Scilicet acie ſeu ſtomomate ferrum impurius obduratur ſeu temperatur,vt meliùs inſtrumenta ſecent & pungant; quorum exinde acumina tam pungentia quàm ſecantia, *acies* & ἀκίδες dictæ ſunt: ςομῶ enim Græcis eſt ὀξύνειν καὶ ἀκονᾶν: vnde Feſtus *aciem* dictam vult ab ἀκόνη, quam Latinè dicimus *cotem*. & Iſidorus: ACIES (exercituum intelligit) *dicta quòd ferro armata ſit*, & acumine gladiorum. Inter

4. Met. cap. 6.

Lib. 3. de Metal. cap. 6.

In Solin.

Lib. 34. cap. 14.

Verbo *Acies.*

antiquos auctores, præter Celſum, ſolus Poëta Titinnius aciarum meminit, apud Nonium Marcellum:

Cap. 1. tit. Phrygia veſtis.

Phrygio fui primò, beneq́; id opus ſciui:
Reliqui ACVS ACIASQVE *hero atque heræ noſtræ.*

In Sen. 1. de Ben. cap. 3. Lumen æui noſtri (vt cum Lipſio loquar) Adrianus Turnebus (quem alij quidem minoris auctoritatis Grammatici ſecuti ſunt, ſed malè intellexerunt) de aciâ ſic cenſuit: *Vt* ACVS, *item* ACIA *in inſtrumento phrygionis erat, & filum* ACICVLÆ *erat, nomenq́; ab* ACIE *habet*. In inſtrumento ponit aciam, quia vſui ad opificium erat: nomen verò deducit ab acie, quoniam acie conſtat, & propriè ferrum eſt in fila tractum; vnde *acicula* (quam Turnebus pro acu paruâ perforatâ vſurpat) diminutiuum eſt aciæ; parua nempe acus, etiam *ἀτζήπ*, quæ paratur ex aciâ in breues particulas ſectâ. Verè igitur & eruditè ACIAM ab ACIE dictam, & filum eſſe, Turnebus dixit; ſimulque materiam, quæ ferrum ſeu acies erat, ſagaciter expreſſit.

Lib. 17. Adu. cap. 21.

Præf. l. 7. Lib. de Off. med.

Verumenimuerò Medicinæ omnis parentem (vt Celſi noſtri verbis vtar) Hippocratem audiamus. Sic ille: Ἅμμα δὲ καὶ ῥάμμα μαλθακὸν, οὐ μέγα: *Nodus verò & filum delicatum, non magnum.*

Genius

Genius Hippocratis Galenus ad illum locum: *P'άμμα vocatur quod vnà cum acu traijcitur, cuius materia linum eſt, ſiue lana, ſiue quid aliud eius generis.* P'άμμα, *filum*, genus eſt ad lineum, laneum, ſericum, xylinum, aureum, argenteum, ferreum, ęreum, plumbeum, &c. Nonius Marcellus de Proprietate ſermonum: FILVM DICITVR DVCTA RES QVÆQVE AD TENVITATEM. *In Còm.* *Cap. 4. verbo Filum.*

Ioannes Gorræus in Definitionibus Medicis: *P'άμμα, acia, vocatur id quod vnà cum acu traijcitur, ſiue linum ſit, ſiue lana, ſiue quidpiam aliud huiuſmodi.* P'άμμα, genus ad omnia fila, à ῥάπτω, *ſuo*, malè vertit Latinè Gorræus *aciam*, quæ ſpecies fili eſt: ſed rectè & ad Galeni mentem ſubiecit, *ſiue quidpiam aliud huiuſmodi*; & equidem cautè, cùm aliud à filo vulgari *aciam* Celſi eſſe ſuſpicaretur, necdum illud aſſequi potuiſſet. Verbo P'άμμα.

Genericâ & interminatâ *fili* voce vſus eſt Celſus loco iam ſuprà allato, de infibulandi ratione: *Tum quà notæ ſunt, cutis* ACV FILVM DVCENTE TRANSSVITVR. Specificâ verò ſæpè; bis nominatim, & quidem ſic, vbi de vmbilici ſinu: *A quibuſdam ad imum* ACV *traiecta-tur* DVO LINA DVCENTE, *deinde vtriuſque lini duobus capitibus diuerſæ partes aſtringuntur.* *Lib. 7. cap. 25.* *Lib. 7. cap. 14.*

Alibi,

Lib. 7. cap. 21. Alibi, de Omenti curatione: *Quidam hîc quoque* DVO LINA ACV TRAIICIVNT, *binisq́; ſingulorum capitibus diuerſas partes aſtringunt*. Bellè ſanè LINVM pro filo lineo, quâ ſignificatione vix alius æquæuus auctor vſus; vt mirum non ſit, in textu noſtro ACIAM pro aliâ fili ſpecie Celſum vſurpaſſe; quippe quæ ſi vulgare filum fuiſſet, *linum*, vt alibi, dixiſſet auctor Latiniſſimus, & puri ſermonis amans.

Addo (vt vnde abiui redeam) phrygiones auro mero in ſtamina diducto vſos ſæpiùs, quando textilia acu pingebant. Virgilius:

Æn. 3. *Fert picturatas* AVRI SVBTEMINE *veſtes*,
Et PHRYGIAM *Aſcanio chlamydem*.——

Paulinus de Imperatoris veſte purpureâ, auro mero pictâ:

Lib. 3. S. Mart. *Miſceturq́; oſtro* MOLLITVM IN FILA METALLVM.

Quæ certè fila Titinnio ACIAS dicta puto, non ſecùs ac fila tenuia è ferro, quæ propriiſſimæ ACIÆ ſunt. Sic æreum filum, ſiue *æs tractum*, Hiſpanis *hilo de alambre*: Galli vocant *fil d'archal*, ab Italicâ enuntiatione *filo d'aciale*, & *filo d'aciaio*; confunduntque cum filo ex acie ſeu ferro, quamuis metalli differentis. Ex quibus loquendi modis colligo, ACIAM pro quouis filo metal-

metallico antiquis vſurpatam; ſed verâ & germanâ ſignificatione pro filo ferreo, ſeu acie in fila tenuatâ: ACIA *enim* (ait Turnebus) *nomen ab* ACIE *habet*. Et ſi extarent mechanicarum artium veteres libri, non dubito quin eâ ſignificatione ACIAM nobis exponerent. Loc. cit.

Ex ACIA ergo, ſiue ducto in filum ferro, SVTVRAM & FIBVLAM OPTIMAM dixit Celſus; nec ACIA qualicumque, ſed MOLLI ET NON NIMIS TORTA. Molli quidem, vel propter formam, ob quam laudatus Paulinus dixit, MOLLITVM IN FILA METALLVM: vel ab arte, in igne nempe (vt per opifices fieri ſolet) emollitâ: vel ex naturâ ſuâ, ex eo ſcilicet genere ferri ductâ, quod lentum & MOLLE eſt, & ad plumbi naturam accedit. Plinius: *Differentia ferri numeroſa: prima in genere terræ cælive. Alia* MOLLE *tantùm &* PLVMBO VICINIVS *ſubminiſtrant; alia fragile & æroſum.* Græci Chemici molle ferrum, ἁπαλὸν, *tenerum* vocant: & Proclus interpres Heſiodi æs quoddam dixit eſſe φύσει μαλακὸν, *naturâ molle*. Acia ergo neque nimis dura, neque nimis mollis eſſe debuit, ſed temperatè mollis; ad quod adduco Pauli Æginetæ verba, de ventris ſuitione, vbi de filo indeterminatè: *Quod equidem durius eſt, cutem* Loc. cit. Lib. 6. cap. 52.

 rumpet;

rumpet; *quod mollius, ipſum priùs rumpetur.*

Verba Celſi, NON NIMIS TORTA, non eſt quòd ingenia torqueant. *Torquere* enim verbum non tantùm ſignificat *in gyrum rotare*, ſed etiam *obliquè inflectere*, & *in arcum curuare*. Virgilius:

2. Georg. —*Ituræos taxi torquentur in arcus.*

Acia igitur *non nimis torta* Celſo, in ſuturâ idem eſt ac *non nimis implexa & in gyrum rotata*; poſtquam transfixis acu (in capite vtrimque excauatâ, aciam recondente & trahente) vulneris labris, aciæ extrema iungebantur in ſummo, & digitorum tortu implicabantur; contrà quàm in filo vulgari, colligantur nodo, & mutuò ſtringuntur. In fibulâ verò Celſi, *non nimis torta acia* idem eſt ac *non nimis inflexa ſeu curuata* (craſſior enim hîc acia erat, quàm in ſuturâ) ſiue in medio, ſiue in vncis; quò non tam arctè comprimendo vel ſtringendo, mitiùs corpori inſideret: nam *quod nimis adſtrictum eſt* (vt ſequenti paragrapho ſcribit Celſus) *cancro* (gangrænam intelligit) *periclitatur.* Et ſanè *tortum dentem* fibulæ tribuit Sidonius Apollinaris:

Pan. Maior. *Oſtricolor pepli textus, quem* FIBVLA TORTO MORDAX DENTE VORAT.—

Torto

Torto dente, quia incuruo & adunco. Corippus de chlamyde imperatoriâ:

Aurea iuncturas MORSV *praſtrinxit* ADVNCO *Lib.2.*
Fibula. ——

Quibus addo, Celſum duobus locis, ob eamdem curuaturam, *flexas* & *tortuoſas fiſtulas* dixiſſe, & *Lib. 5. cap. 28.* *rectis* oppoſuiſſe. *Lib. 7. cap. 4.*

Neque momentum hîc habet obiectio, recentiorum opinione nixa, quòd vulnerum ſutura hodierna & vulgaris tantùm fiat ex filo lineo vel ſerico; cùm quæſtio ſit de aliâ ſuturâ tempore Celſi receptâ, hoc eſt, primorum Cæſarum ſæculo, quo Chirurgi adhuc immites, laniis & carnificibus comparabantur. Prudentius quatuor ferè ſæculis Celſo poſterior:

Horretis omnes haſce carnificum manus: *Periſtep. hym. 10.*
Num mitiores ſunt MANVS MEDENTIVM,
Laniena quando ſæuit Hippocratica?
Viuum ſecatur viſcus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.

Suturæ porrò illius, ex aciâ ſeu filo tenui ferreo, vſus quamuis deſiiſſe videatur; nemo neſcit adhuc hodie, in herniæ curatione, peritonæi proceſſum, per quem inteſtinum deſcendit in ſcrotum, acu incuruâ filum aureum vel plumbeum ducente transfigi & ligari: denique non

magis alienum aut crudele eſſe, ferreo filo molli corpora tranſſuere, quàm ferreis hamulis ſeu fibulis eadem corripere & mordere.

Alius etiam poteſt eſſe verborum Celſi ſenſus. *Sutura optima eſt ex àciâ molli*; hoc eſt, ex acu ſolâ non fragili, ſed ex mollis ferri filo paratâ, & ad curuaturam facili. Nam paulò infrà, de ſuturâ & fibulâ ſimul ſic: *Si nimis crebra eſt, vehementer afficit*; *quia quò ſæpiùs* ACVS CORPVS TRANSSVIT (ſutura,) *quoq; plura loca iniectum* VINCVLVM MORDET (fibula,) *eò maiores inflammationes oriuntur*. ACVM hîc ſolitariè CORPVS TRANSSVERE dicit, non verò *acum ducentem filum* vel *linum*, vt alibi. Ergo ſuturam potuit hîc intellexiſſe Celſus factam per acum ſolam, quam proptereà vult eſſe mollem, & non nimis tortam ſeu incuruam, *quò mitiùs corpori inſîdat*; hoc eſt, quò cum minori inflammationis periculo carni adhæreat, non ſecùs ac ipſa fibula: nam de vtrâque ſimul ſermonem facit, & vtrique eaſdem cautiones adhibet.

Atque hoc ſenſu vſurpata apud Celſum ſutura, eadem erit cum eâ quam pictam exhibuit *Lib. 8. cap. 6. & 9.* Ambroſius Paræus, vbi de curtorum in labris curatione; quæque fit ex acu ſolâ, cuſpide triangulari, per vulneris oras traiectâ, & ibi hærente; filo

filo lineo ex acu pendulo, acui poſteà decuſſatim circumacto, non quidem ſuturæ ſed cohibitionis gratiâ. Eam ex Guidone deſcripſit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, in Academiâ Patauinâ præceptor olim meus. *Sumuntur,* inquit, *tot acus, quot puncta volumus facere, quæ traijciuntur per vtrumque vulneris labium, & ibi relinquuntur: deinde circa vnamquamque acum reuoluitur filum eo modo, quo faciunt mulieres, cùm volunt in manicis aut alibi acus aſſeruare.* *In operat. chirurg.*
Eius quoque meminit Felix Platerus, his verbis: *Aciculis vel acubus vulnerum labia aliquando nectimus, transfigendo illa, ſicq; retinendo totidem nexibus, quot in ſuitione ſutura aliàs fieri ſolent: quod expeditè (etſi cum dolore fiat) à quibuſdam adminiſtrari vidimus.* *Loc. cit.*

Ex prædictis concludo, Cornelij Celſi tam SVTVRAM quàm FIBVLAM, quouis modo à me explicatam, Celſi menti, antiquæ praxi, & Alphonſi Nuñezij, conſummatæ peritiæ Archiatri, ſententiæ maximè congruam eſſe; cui idcircò plurimùm gratulor, & vnà ſalutem dico.

Ceterùm hæc paucula, quæ ſucciſiuis aliquot dierum horis, amici & animi gratiâ luſi, acri tuo & perſpicaci iudicio probanda vel im-

probanda ſubiicio, EXCELLENTISSIME DOMINE. Quòd ſi plures ad cauſæ huius litterariæ cognitionem Iudices adhibueris; illorum humanitatem, hiſce Terentiani Mauri verſibus, bonâ tuâ veniâ, compellabo:

Corrigenda ſi qua ſanè viſa vobis hinc erunt,
Non ero ſtultè repugnans, aut amans prauè mea,
Quin ſtatim culpanda delens præbeam rectis locum.

Bruxellæ, pridie Kal. Nou. anni Chriſtiani M. DC. XXXIII.

FINIS.

Hanc de CORNELII CELSI ACIA *Diſſertationem prælo & luce dignam cenſeo,*

Gaſpar Eſtrix Canonicus & Plebanus Antuerpienſis ac Librorum Cenſor.